

quod eo die in lucem editus esset, est fortitus, patre Paulo, matre Dominica Augeria. Annum quintumdecimum agens, Prædicatorum familiæ adscriptus, Michaelis nomen assumpsit; atque illius sodalitatis gradibus fere omnibus emensis, Inquisitionis in munere administrando eam virtutis, ac constantiæ laudem est consequutus, ut a Paulo IV. primum Nepefinorum, ac Sutrinorum Episcopus factus; deinde Cardinalis, summusque Inquisitor crearetur: qui perenni moderatione, atque animi æquitate pacatus, nihilque tale cogitans, Divini Numinis aura ad pontificatum sublatus est. Pii V. nomen suscepit. Nuntio de illius electione Venetias perlato, quatuor officii causa ad eum legati a Senatu designati sunt, Nicolaus Pontius, Hieronymus Grimanus marcius Procurator, Marinus Caballius, Hieronymus Zanius, equestri singuli dignitate insigniti. Pontius, quod ejus in Tridentina Synodo dicendi libertate suboffensus Pii animus diceretur, ob idque minus in illum propensus esset, a legatione abstinuit. Inito vero pontificatu, Venetos summa benignitate complexus, egregiam in illos voluntatem per ordinarium Reipublicæ legatum, perque Archiepiscopum Hydruntinum, Apostolicæ Sedis Nuntium, Senatui significavit; religionisque negotia commendavit, in qua tuenda, atque augenda par Venetorum studium exitit. Cumque ex corrupto, ac prolapso Ecclesiasticorum vivendi genere pravos homines sacrosanctæ religionis instituta pervertendi, hæresesque inducendi animos sumpsisse Pius intelligeret, omnes curas, cogitationesque ad vitæ, morumque disciplinam restituendam contulit.

Dumque totus Pontifex in iis esset, Suleimani victoriis, ac triumphis assuetus animus, ob infaustum Melitensis expeditionis eventum exæstuans, ingentesque superioris anni conatus inani eventu cessisse impatiens, magna adversus christianos Principes mente agitabat; nonnullis Melitam denuo aggreffurum; aliis omnem belli impetum in Pannonias effusurum dicentibus. A Victore Bragadeno legato Byzantio literæ afferebantur; ingentes terra, marique apparatus a Suleimano fieri. Quibus permotus Senatus, ne classe Turcica ex Hellesponto emissa imparatus offenderetur, licet ei pax, & amicitia cum Suleimano intercederet, ut in Illyrico triremes octo,

in

*Oratores
Veneti ad
Pium Pontificem.*

*Turcarum
bellici apparatus.*